


Sammelband





ELEGIA

De Certamine

CHRISTI CRUCIFI-
XI, CONSERVATORIS AC RE-
demptoris nostri unici, & Serpentis.

AD

REVERENDISS: ILLUSTRISSI-
mos, nec non Generosissimos Principes ac Dominos,
D. HINRICHUM JULIUM, *Diaeceseos*
Halberstadensis Episcopum Postulatum: & D.
JULIUM AUGVSTUM, *Duces Brunsvi-*
censes & Lunaburgenses, debita subjectionis
ergo missa, & scripta

Ab

HINRICHU BUPODIO
Guelphico.

M. D. VIC.

A Rma virumq; canam Stygijs qui primus in oris
Intulit umbrarum bella cruenta Duci.
Et nigri miserè vastatis sedibus antri,
Victrici statuit digna trophæa manu.
Summe fave, ac nostris conatibus annue Christe,
Ut possis nostro suaviter ore cani.
Fallaci primos Serpens cum fraude parentes,
Aeterni fecit carceris esse reos:
Bella DEVS summo dixit de vertice cæli,
Ardua sunt Serpens bella gerenda tibi.
Quæ non exacto Sol aureus exigat anno,
Sed quibus imponant secula nulla modum.
Namq; caput tollet promissum SEMEN in auras
Ut tua victrici sub pede colla premat.
Restituatq; sua deformem morte ruinam,
Quodq; hominem premeret flebile portet onus.
Sic ait: ac hostis mox castra locavit uterq;
Et fera crudeli sustulit arma manu.
Trux coluber sibi mille armis prospexit, & omnem
Sub pugna fecit signa venire chorum.
Nec mora, nec requies validis contendere nervis,
Spargere fulmineo iussit & ore minas.
Cum non obruti posset, neq; vincere ferro
Horruit, ac gelidus perculit ossa tremor.

Mox

Mox igitur regni pavidos affatus amicos,
Irato tales fudit ab ore sonos:
O socij ante oculos qua sit fortuna videtis,
Impendet Stygij summa ruina lacus,
Si non Tartarei sedes defendere regni
Pergimus, & nostra regia sceptrum domus:
Instat enim Christus, telis victricibus instat,
Praesidis ut nostri vinciat ipse pedes.
Nec desistet enim, dum nigrum rumpat Avernum,
Subjectosq; gravi nos liget ipse iugo.
Cur tamen aggredimur caput insuperabile bello?
Quid juvat armatas conseruisse manus?
Nonne movent tot nos amissi Martis honores,
Cum dedimus turpi terga pudenda fuga?
Hac certe movisse potest miseranda ruina,
Cum nos ad nigras fulmine misit aquas.
Insidijs opus est, ac omni fraude magistra,
Saepe hac magnanimos vicimus arte viros.
Cernitis humanos postquam DEVS induit artus,
Et tener è pura virgine natus homo est,
Cernitis infirmas vires, mortalia membra,
Incautum quoties is gradiatur iter.
Pandite sed vestrae qua sit sententia mentis,
O mecum passi tristia fata duces.

*Sive dolo, aut potius cupitis decernere ferro,
Constanter ferro, fraude doloq; juvo.
Dixerat: at contra cui nomina mille nocendi
Alecto solvit talibus ora sonis:
O socij ne noster honos rapiatur in auras,
Ne pereat Stygij fama parata lacus:
En ego, qua primum non his rationibus utor,
Fallaci aggrediar fortiter arte Deum.
Nec prius absistam rigido quam stipite pendens,
Cogatur Christus mortis adire jugum.
Et nisi me dubia fallit sententia mentis,
Efficiam socij, quod grave vultis opus.
Sardoo fratres pepererunt sibila risu,
Alecto tales cum dabat ore sonos,
Dira sed, horrendo vittatis angue capillis,
Qua jacet obscuras carceris ante fores.
Insidias portans & noxia crimina secum,
Per praecepta Solymae mœnia stulta subit.
Et Christi socios furij accendere primum,
Fallere mox Regem turpiter arte parat.
Spe frustrata sua, Jude sub corde furores
Spargit, & hac tacite noxia tela serit.
Ut precio Dominum promisso sistat ad aras,
Et sumat facto premia digna suo.*

Ille

Ille velut summus quem coxerat ardor habendi,
Auro & cui fuerat per aere ferta salus,
Pollicitis captus, stultaq; cupidine, querit
Caelestem tradat qua ratione Ducem.
Nec requievit enim, donec suadente ministra
Alecto, tandem turpe peregit opus.
Nox erat atthereo fulgebant sidera caelo,
Cynthia anhelantes pulcra regebat equos,
Vndiq; collecta sociorum quando phalange,
Incursum primum perfidus ille parat:
Et capit, at captum Solymæ sub mœnia ducit,
Pendeat ut gratum de cruce Christus onus.
Illudens capto durus dat verbera miles,
Et sanctos vultus, polluit ore, D E I.
Qui se caelestis veram prolem esse parentis
Dixerat, heu mortis fingitur esse reus.
Nec mora, devotis sanctus Rex sistitur aris,
Ut portet, quod non commervisset, onus.
Victima Christus adest, recti sibi conscius, illa
Tristia pro nostro crimine fata subit.
Interea fuscis crudelis tollitur alis
Alecto, & rursus regna superba petit.
Atq; suas socijs enarrat ab ordine pugnas,
Hostis ut exigua conditus esset humo.

Ipsa

*Ipsa choros letos Alecto ducit & Orcus,
Clamat io Serpens hoste jacente suo.
At quia sperabant (nec enim caelestia norunt)
Perpetuo Christi membra sepulta solo:
Credebantq; nihil nunc impendere ruina,
(Extinctus vivis nam quid obesse potest?)
En Christus vires, paulo quas abdidit ante,
Exeruit, vindex & loca nigra petit.
Tartara nigra petens, securos cladis & ira
Insequitur stricto strenuus ense duces.
Serpentem insequitur flammam ex ore vomentem
Perfida victrici sub pede terga premens.
Et mox terribili mors absorbetur hiatu,
Qua jacet ante DEI semisepulta pedes.
Tunc vero exoritur clamor, stridorq; jacentum,
Quos cogit laceris exululare comis.
Immemores illiq; sui tristissima tundunt
Pectora, per madidas imbre cadente genas.
At VERBUM nodis centum stringebat ahenis,
Agmina Lethei sanguinolenta lacus.
Qua secum superas cum vexit victor ad oras,
Mirando statuit mira trophaea manu.
Et grata instituit fausto spectacula plausu,
Laticia talem est festa peracta dies:*

Aurato

Aurato vectus curru Capitolia Patris
More triumphantis Christus adibat ovans.
Terga premens velocis equi, miranda canebat
Præco gratanti prælia voce DEI.
Ante triumphantem manibus post terga revinctis
Cum sociis trahitur mors, rapidusq; Draco.
Et quæ dispensant mortalia fata sorores
Vincla recusantes, vincula dura tenent.
Illic hasta jacet sævæ sine acumine mortis,
Ignem illic spirans Lex superata jacet.
Tunc genus humanum gratantia verba canebat,
Istæq; fundebant membra sacrata DEO:
Salve victor ovans cuius mors hausta triumpho est,
Alecto miserè quo duce victa jacet.
Cujus & auxilio redierunt aurea mundo
Secula, justiciæ est & reparatus honos.
Finis adest belli, redijt pax inclyta: toto
Felices qui nunc vivitis orbe viri.
Deniq; nec Vates aberant sanctissima turba
Messiam votis qui coluere suis.
Fronibus ornabantq; viam florentis olive,
Dicentes summo carmina grata Patri.
Hoc domitor ritu nitidum est ingressus Olympum,
In numerum spargens cœlica dona, DEVS.

Atq;

Atq; pijs animas in lucida tecta vocatas,
Læticia fecit non pereunte frui.
Pressit at æterna Serpentem carcere mortis,
Subjecitq; gravi perfida colla iugo.
Nenoceat Legis nunc vis mortalibus, hostis
Nec possit quicquam juris habere Satan.
Ergo etiam nobis æternum carnis honorem
Innocuo Christus funere promeruit.
Sedula pro nostra quia reddit vota salute,
Et regni partem nos cupit esse sui.
Fundite nunc igitur toto de pectore grates
Mortales, quotquot vivitis orbe, D E O.
Latos exercete choros: Sol ortus & ingens
Gloria justiciæ est, nec periturus honor.
Pax viget: iratus genitor nunc sanguine Nati
Placatus, miseros nos adamare cupit.
Jam prædam mortis dux fortior intulit astris,
Perpetuoq; pijs fecit honore frui.
Hanc igitur Christi nunc mente revolvite pompam,
Vera salus nobis, quo sine, nulla venit.

F I N I S.

99 A 6908

ULB Halle

3

002 927 25X



Handwritten initials

Retros.

VO 17





ELEGIA
De Certamine
CHRISTI CRUCIFI-
XI, CONSERVATORIS AC RE-
demptoris nostri unici, & Serpentis.

AD
REVERENDISS: ILLUSTRISSI-
mos, nec non Generosissimos Principes ac Dominos,
D. HINRICHUM JULIUM, *Diocesanos*
Halberstadensis *Episcopum Postulatum: & D.*
JULIUM AUGUSTUM, *Duces Brunsvi-*
censes & Lunaburgenses, debita subjectionis
ergo missa, & scripta

Ab
HINRICHU BUPODIO
Guelphico.

M. D. VIC.

XIX.

